

XVII. An Account of the Disease, called Ergot, in French, from its supposed Cause, viz. vitiated Rye. In a Letter from Dr. Tiffot, of Lausanne, to George Baker, M. D. F. R. S. Communicated in a Letter from Dr. Baker to the Rev. Thomas Birch, D. D. Sec. R. S.

Reverend Sir,

IN the month of April, 1762, my late most amiable and very ingenious friend, Dr. Wollaston, presented to the Royal Society the history of an extraordinary case of a mortification of limbs in a poor family at Wattisham, about sixteen miles from Bury, in Suffolk, where Dr. Wollaston at that time resided. About the same time the Rev. Mr. Bones, then minister of the parish of Wattisham (whose humanity led him to shew a particular attention to the sufferings of that unhappy family) transmitted to me every circumstance, which he could observe or collect, relating to the disease. The letters, which I received on this subject, from Mr. Bones, were communicated to the Society; and both accounts were published in the second part of the fifty-second volume of the Philosophical Transactions for the year 1762.

Some time in the last winter, as I was perusing a work, intitled, *Avis au Peuple sur sa santé par M. Tiffot*,

Tiffot, Medecin, Membre des Sociétés de Londres & de Bale, (printed at Paris in 1762) I observed a disease mentioned under the appellation of *Ergot*, a name borrowed from its supposed cause, viz. vitiated rye. As the phænomena of the disease described (which is said to be frequently epidemic in several provinces of France) are very similar to those of the disease, which we lately received an account from Wat-tisham, I took the liberty of writing a letter to M. Tiffot, and requested the favour of him to communicate to me whatever had fallen under his own ob-servation, with respect to the disease called *Ergot*.

In answer to my letter, I have lately been favoured by that learned physician, with the inclosed collec-tion of curious facts and observations on the subject of my inquiry : which, at his request, I do myself the honour to send to the Royal Society.

I am,

Reverend Sir,

Your most obedient

and very humble servant,

George Baker.

Jermyn-street, Dec. 5, 1764.

Viro celeberrimo et eruditissimo G. Baker A. Tiffot S. D.

Read March 21,
1765. **Q** VOD bene de libellis meis sen-
tias impense lætor, vir egregie;
gratusque accepi, nec fine magno emolumento meo
legi perlegique optimum tuum libellum de dysente-
riâ et catarrho.

Mea non sunt, sed anonymi editoris Parisiensis,
quæ leguntur de fecali cornuto, in consiliis meis de
populi sanitate. Hic capitulus et omnes alii de variis
chronicis morbis, a pag. 420—504, additamenta sunt
ejusdem auctoris, quæ seposui in secundâ editione
Lausannensi, primâ tamen longe auctiori, et quam
anglice verti curarunt typographi vestri Cl. Becket
et de Hondt. Scopo tamen tibi complacendi lu-
bens mitto quæ quondam, dum varias partes diæte-
tices paulo curiosius indagabam, de hac materiâ col-
legeram; quæ omnia, si lubet, nec indigna videntur,
meo nomine, in conventibus illustrissimæ societatis le-
gere poteris.

Tria sunt præcipua vitia granorum frumenti et
fecalis, *rubigo*, *ustilago*, et *secale cornutum*. Mira
ubique fere invenitur confusio de illis morbis, et præ-
fertim duobus primis; illos paulo preffius definire ex-
pediet.

Rubigo, vobis, ut video, *mildew*, Gallice *rouille*,
Italice *ruggine*, pulvis est flavo-rubescens, glutinosus,
qui adhærens et culmo et glumæ plurium plantarum
graminacearum, earum incrementum impedit, inde
male nutritum granum atrophia conficitur et exsicca-
tur, nullam, aut fere nullam, farinam præbens. Hic
est morbus, ni fallor, quem in nonnullis locis
dicunt

dicunt *bled vanté*; ventum calidum granum credit comedisse vulgus.

Ustilago, Gallice, *mille ou brulure*, Italice *fuligine*, nomen est genericum, nigram frumentorum degenerationem designans; duæ sunt species, *carbunculus le charbon*, et *caries la carie*.

Carbo morbus est grani, vix externe noscendus, nisi quod grana rotundiora videntur, quo interna substantia vertitur in nigrum, viscidum, fœtidum pulverem. Carbunculata grana multum aliquoties turgent. Morbum hunc dixit *la boſſe* cl. DUHAMEL. Facillime observatur carbunculi natura in grano tritici Indicū (Maïis) monente cl. Bonet [a]. Vedit enim quæ ovum gallinaceum æquabant, plena pulvere nigro, fœtido, fanioso, variis lamellis distincto.

Caries, quam plerumque generis nomine *nielle* designant, frumentum, secale pluresque alias plantas inficit, non granis tantum, sed floribus et foliis infestus sub forma pulveris nigri, viscidæ, undiquaque adhærentis, et quidquid tangit necantis; invadere videtur morbus quo tempore floret frumentum, sicque nunquam adolescit granum; adultum enim corrupti haud facile crederem. Coram habeo plures aristas carie tactas, quæ pulvere illo undiquaque fuscatae granoque penitus vacuae, solas glumas exhibent albescentes, et nescio quid fibrosi, in media gluma, quod videtur fuisse pars fibrosa aut stamen grani. Nonnullas tibi mitto; parum saporis aut odoris habet ille pulvis, nec plus habuit quo momento colligebatur.

[a] Recherches sur l'usage des feuilles dans les plantes, pag. 327.

Cariem omni ævo observatam fuisse credit cl. Ginanni; carbo vero recentius cognitus, nunquam visus fuerat in Lombardiâ ante annum 1730, et Cesennæ ante annum 1738.

Secale cornutum, *ergot*, morbus est longe alias, solumque secale vel duas aut tres alias plantas gramineas Alpinas, ut narravit illust. amicus meus Hallerus, infestans. Vegetatio est irregularis grani secalini, quod substantiam quasi medium inter granum et folium adipiscitur, coloris, ut vidi, licet rarissime (raro enim in nostris regionibus crescit) fusce viridis irregulariter compressi, et, ut olim jam viderunt cl. Marchand et Vaillant, saepè quatuordecim aut quindecim lineas longum, duas latum. Præ aliis illa grana accuratissimè descripsit Car. Nic. Langius, additis etiam experimentis de illorum indole. Sata nequaquam germinant; abundant annis præsertim pluviosis; et quando pluviosum ver calidissima aestas excipit [b].

Simplicia hæc videntur; at, ut jam dixi, ex nominum confusione plures nati sunt errores. Semper notam fuisse rubiginem dubitare vetant antiquissima monumenta. Veteribus nota fuit quoque ustilago, apud illos fuligo aut uredo dicta; sed tum antiquis tum recentioribus sæculis paßim usurpatam rubiginem pro ustilagine, et vicissim ustilaginem pro rubigine queritur, qui doctissime de *morbis grani in herba* scripsit, Cl. Comes GINANNI [c]; firmiterque

[b] Opus Langii, senatoris et medici Lucernensis, Germanice scriptum prodit Lucernæ anno 1717. Vis tituli est *Descrip-tio morborum ex eju clavorum secalinorum cum pane*. Bonum excerptum invenitur in aëtis eruditorum ann. 1718. pag. 309.

[c] *Delle malattie del grano in herba trattato storico fisico*, 4^o in Pesaro, 1759.

credit rubiginem a RAMAZZINO descriptam, in constitutione epidemicâ anni 1692, veram fuisse ustilaginem. Queritur nonnullos prædicasse audacter de ustilagine quod solius est rubiginis, quam veteres æruginem quoque dixerunt. Horum locos fuse adducit, a quibus abunde patet, uredinem aut fuliginem (recentior est enim vox ustilago) primis ævis, quod dixi, notam quidem fuisse, at tantum obscurè.

De nomenclaturâ secalis cornuti minor confusio; aliis quidem *secale luxurians*, aliis *mater secalis* quod est *mutterkorn Germanorum*, aliis *orga*, Langio *Clavus Secalinus* dicitur, at cum aliis morbis vix confundi potest. Solus forsan errorem interponit Cl. MONETA, qui secale cornutum nihil aliud esse affirmat quam gigantea grana, ex nimio incremento in feracibus annis, quæ nihil nocivi habent, additque, contra omnes, hordeum et frumentum cornuta fieri posse [d]; at sane nunquam secale cornutum vidi bonus vir, sed grana illa vere gigantea nullo vitio nisi nimio volume fœda et omni anno ubique obvia. Fœmina, cuius epistolam posteris tradidit Cl. SALERNE [e], dicit quoque secale cornutum aliquoties majus, aliquoties minus esse secali vulgari; et Cl. HANOVIVS [f] credere quoque videtur secale cornutum morbum esse aliquoties marasmoïdeum; sed hisce tribus dissentunt omnes alii.

[d] *Commentar. de rebus in hist. natural. et med. gestis*, tom. III.
p. 520.

[e] *Mémoire sur les maladies que cause la seigle ergotée, dans les mémoirs de mathematique et de physique présentés à l'academie Royale des Sciences*, tom. II. p. 161.

[f] *Comment. de reb. in hist. &c. ubi supra.*

Quoties ergo de rubigine, ustilagine, aut fecali-cornuto agitur, probe tenendum rubiginem, æruginem, ruggine, robbiga, mildew, rouille, suc mielle et forsan bled vanté, unum esse morbum; ustilaginem, uredinem, fuliginem nigellam, volpe, nielle, brulure alium esse diversum morbum, qui suas habet species, cariem et carbunculum; fecale demum cornutum, fecale luxurians, matrem fecalis, mutterkorn, orgam, clavum fecalinum, tertium esse genus morbi primis omnino dissimile.

Nocivum præbere alimentum omnia corrupta grana non nesciverunt antiqui; et pulchra habet præcepta, etiam nunc in diæticis princeps, GALENUS, de damnis frumenti nigri, id est, ustilaginis, et lolii, quibus uti pistores serio vetat, memorans simul morbos quos inde natos vidit [g].

Panis confectus ex frumentis quæ fœdavit pulvis nigellæ, aut quæ carbunculata fuerunt (nondum enim videre contigit grana partim cariosa, partim sana) maligne semper fermentat et coquitur, viscidus est, gravis, inasfuetis nauseosus; et anno 1758, cum hic abundaverit, plurimum, ni fefellit observatio, morborum chronicorum abdominis et cutis causa extitit. Vedit LONGOLIUS virum, qui, devoratis, curiositate, granis aliquot frumenti ustilaginei, doloribus membrorum corripiebatur, et aliquot déjectionibus sanatus est.

At *pessima* sunt damna quæ ex esu fecalis cornuti oriuntur, et cum verisimile sit hanc fecalis degenerationem omnis ævi fuisse, credere ausim morbos quos ciet, omni ævo aliquot mortales tetigisse, utut

[g] *De alimentorum facultatibus*, l. i. c. 37.

illos minime descripserint veteres medici; primum enim accurate descripti sunt anno 1596, et ab illo tempore dire in varias Europæ regiones aut spasmos aut gangrænam excitantes sævierunt. Breviter et histricè illas clades recensebo. F. HOFMANNUS utramque morbi faciem adumbrat [b]. Spasmodicam primum, tum gangrænofam delineabo. Anno 1596, in Hassiâ et vicinis regionibus, grassatus est epidemicè morbus spasmodico-convulsivus, cuius causam usui fecalis cornuti tribuit facultas medica Marpurgensis, quæ, anno 1597, libellum edidit, Germanice, de symptomatibus, ætiologia, et curatione hujuscemorbi; in quo haec videtur Sennertus [i]. E fusa descriptione, in auctore omnium manibus trito, facile invenienda pauca tantum memorabilia excerptam.

1. Qui epilepsiam corripiebantur, vix omnino hoc morbo in posterum liberabantur.

2. Qui amentes fiebant, stupidi ad mortem usque remanebant.

3. Licet nonnulli post hunc morbum ad quindecimum annum superstites fuerint, singulis tamen annis, mense Januarii et Februarii, male se habebant.

4. Contagio non immunis erat morbus; quod nusquam alibi observatum.

Idem morbus annis 1648, 1649, 1675, in Voigtlandiâ, teste HOFMANNO, grassabatur. Anno 1702 totum Freibergensem tractatum peragravit. Anno 1716 Saxoniam et Lusatiam afflixit, quam epi-

[b] *Patholog. general.* part. ii. cap. ix. § 16. in *scholio.*

[i] *De febribus,* libr. iv. cap. xiv. *de febre malignâ cum spasmo.*

demiam descripsit G. V. VEDELIUS [k]. Eodem tempore A. O. GOELIKE dissertationem edidit de eodem morbo, in quâ omnes, qui tunc extabant de hoc morbo auctores (quos inter Horstius, Buddæus, Longolius, Haberkorn, Willish, aliquie) sedulo excerpit [l], differentiasque morbi in variis epidemicis curiose indicavit.

Idem morbus anno 1717, varios Germaniæ locos tetigit. Silesiam anno 1722 invasit. Inde nata VATERI *Dissertatio* [m]. Dynastiam Sabothi in Silesia et tractum Vartembergensem in Bohemiâ, anno 1736 occupabat. Sabothi epidemiam descripsit, at, maximam partem, Germanice G. H. BURGHART [n]. Morbum Vartenbergensem accurate pinxit J. A. SRINC [o] qui solus quingentos ægros visitavit. Hæc erat facies morbi. “ Incipiebat molestâ titillatione “ pedum referente formicarum perreptationem ; mox “ ventriculus gravi torquebatur cardialgia. Hinc ad “ manus malum procedit, donec tandem ipsum caput “ occupet. Titillationem ejusmodi non manuum “ tantum extremique pedis sed et utriusque membra “ ditorum sequitur contractio, quam vir robustissimus vix impedire valeat, adeo ut varie distractos “ artus jurares luxari. Uri pedes manusque altis “ significant clamoribus, corpore sudoribus diffluentes “ largissimis. Grave fit post dolores caput, et ver-

[k] *Dissertatio de morbo spasmodico epidemicō maligno in Saxoniâ, Lusatîâ, vicinisque locis graffato.* Jenæ 1717.

[l] A. O. GOELIKE *horæ subsecivæ*, tom. ii.

[m] Chr. VATERI *Dissertatio de morbo spasmodico populari Silesiaco.* Witebergæ 1723.

[n] *Satyræ medicorum Silesiacorum,* Specim. iii. obs. 4.

[o] *Satyræ medicorum Silesiæ.* Spec. iv. obs. 5.

" tigine corripitur : Nebulae oculis obversantur.
 " Nonnulli vel plane cæcutiunt, vel quæ singula
 " occurunt, bina se videre autumant. Obliviscuntur
 " se, et ebriorum instar vacillant, mentis minime
 " compotes. Quidam maniaci fiebant, alii melan-
 " colici, alii comatosi. Qui decimum quintum ætatis
 " annum superarunt, morbo comitali sunt obnoxii.
 " Horum plerique fatis concedunt. Comitatur id
 " malum opisthotonus, et spuma ex ore profluit sub-
 " cruenta aut flavo viridive colore tincta. Lingua
 " convulsionibus sæpe lacerabatur ; quibusdam adeo
 " intumuit ut vox interciperetur, salivâ effluente
 " copiosissimâ. Cardialgiâ tentatos, subsequuta vo-
 " mitum epilepsia, mortem vidi oppetere. Qui post
 " titillationem horrore et frigore obriguerant, eorum-
 " dem manus pedesque minus distendebantur. Uni-
 " versa hæc malorum ilias pedisequam habet bu-
 " limum. Plurimi satiari nequeunt, paucissimi cibos
 " aversantur. In unius cervice bubones nasceban-
 " tur, ii tamen ad pestem minime referendi. Ex
 " his pus flavum effluxit, inter immanes et urentes
 " plane dolores. Maculæ in alterius pedibus efflo-
 " ruere, pulicum morsibus similes, quæ in octavam
 " hebdomadam perdurant. Quorundam facies tur-
 " piter foedata est maculis. Pulsus sanorum similis,
 " nullo excepto. Excipiebat spasmos rigor artuum :
 " ut pedibus manibusque capti viderentur. Apud
 " alios duarum ; apud alios quatuor ; apud alios sex
 " octove ; imo apud nonnullos duodecim hebdo-
 " madarum spacio dirus hic affectus suam ludit fa-
 " bulam ; sunt et illi sua interscenia, quibus ægrotos
 " sinit quiescere. Perierunt inde ab initio ejus ho-
 " mines centum, maximam partem infantes. Inter

“ quingentos scilicet ægrotos infantes trecenti occur-
 “ runt; ad decimum vero quintum annum ætatem in-
 “ fantum numero. Duarum domuum incolæ ad
 “ plures abiere, nullo plane superstite. Contagionem
 “ non aedesse Deum testor.”

“ Horrenda symptomata, ait BURGHARD, atque
 “ spasmæ extremas corporis partes, brachia videlicet,
 “ pedes, caput, oculos, labia mirum in modum
 “ convellentes, omnem rationis usum delentes, nullis
 “ compesci potuerunt præfidiis. Raro ante tertiam
 “ septimanam, morbus quicquam remittebat, plures
 “ vero qui præfertim neque medicamentis utebantur,
 “ neque conveniens regimen observare voluerunt,
 “ ad unum vel alterum mensem detinuit. Quibus
 “ febris, continua quasi, superveniebat, largos, præ-
 “ fertim tam post febiles quam spasticos paroxysmos,
 “ eliciens sudores, hi citius evaferunt. Qui autem
 “ moriebantur paulo ante decepsum resolutionem
 “ membrorum paralytoïdem, imo et ipsam apoplexiā
 “ videbantur pati. Feminis prolixiores inducias
 “ concessit morbus, tunc demum eo vehementius
 “ furens quum menstruum vectigal esset solvendum :
 “ hoc soluto præter ingentem virium prostrationem
 “ per aliquot septimanas parum conquestæ sunt, do-
 “ nec rediens luna novas resuscitavit turbas.”

“ Quibus demum evadere datum, his per notabile
 “ temporis intervallum membrorum debilitas, imo
 “ unius vel alterius quasi rigor et movendi quædam
 “ impotentia mentisque torpor.”

Anno demum 1741, Novam Marchiam ingressus
 hanc regionem usque ad mensem Maium anni 1742,
 pressit idem morbus, quem graphice pinxit Cl.

MULLER

MULLER [p], cuius accuratissima descriptio lectu digna est. Eadem initia, incrementa, symptomata convulsiva et paralytica, eamdem pertinaciam, eumdem exitum ac in descriptione Srinici invenies, sed perpetuus comes hic adfuit febris ægrotis Bohemensibus ignota.

An ab illo tempore novas regiones devastaverit illa calamitas nescio; jamque, optime Bakere, ad aliud genus morbi quod inducit fecale cornutum, gangrænam nimirum spontaneam, accedo.

Ex variis quæ collegi, constat hunc morbum in nonnullis Galliæ provinciis jam notum fuisse anno 1630, ut testabatur Doctor Thuilier, summi illius viri Ducis de Sully medicus [q]. Annis 1650, 1670, 1674, vigebat in nonnullis locis Aquitaniæ, in Solonia, tractu *Gatinensi* et, anno speciatim 1674, montis *Argisi*, teste Cl. PERRAULT [r].

Primum symptoma erat torpor crurum, tum dolor cum levi tumore sine inflammatione, et cita successione, frigus, livor, sphacelus, membra excisio. In Solonia nulla aderat et febris, mites erant dolores. Nulla adhibebant auxilia; sed nasus, digita, manus, brachium, pedes, crus, femur, sponte sphacelata excidebant.

Anno 1695, illustris ille medicus J. C. BRUNN, vidit, Angustæ Vindelicorum, foeminam morbo spasmodico et sphacelo manuum laborantem, ex esu seca-

[p] *C. A. a Bergen et J. M. F. Mulleri Disputatio de morb. epid. spasm. convuls. contagii expertise, Francofurti ad Viadrum, 1742,* utilis dissertatio in collectione practica Hallerianâ reperiunda.

[q] *Lettre de M. Dodart au journaliste des Savants, ann. 1676. tom. IV. p. 79.*

[r] *Journ. des Savants, ib.*

lis cornuti, ad cætera bene se habentem; et didicit a chirurgo, qui illam comitabatur, et qui nuperime pedem ex eadem causâ sphacelatum amputaverat, degener illud frumenti genus causam esse, quod incolæ sylvæ Hercyniae non tantum convulsionibus tententur miris, sed et extrema sphacelo emoriantur [s].

Anno 1709, eadem calamitas Soloniam iterum invasit, quæ raro fecali cornuto omnino caret, sed hoc anno quarta pars fecalis cornuta erat. Cl. NOËL Chirurgus Nosocomii Aurelianensis *L'hotel Dieu*, intra annum, in nosocomio ultra quinquaginta ægros, ergotès, ut dicunt, visitavit, aut homines aut pueros, nullam foeminam, paucissimas puellas [t]. Morbus incipiebat fere in digitis pedum (unicus manuprehensus fuit) saepe ad summum femur extendebatur. Primum symptomata post usum panis venenati erat species ebrietatis. Quatuor mortui sunt post amputationem, gangræna ad truncum usque serpente, quod mihi novum videtur argumentum quo demonstratur periculum amputationis antequam constiterit gangræna. Hæc amputatio est æque nociva ac repressio sudorum criticorum in morbo venenoſo. Blæſarum sœvus accidit casus quem sic narrat ill. FONTENELLE. “ Un Païſan fut attaqué de la maniere la plus cruelle : la gangrene lui fit tomber d'abord tous les doigts d'un pied, ensuitte ceux de l'autre, apres cela le reste des deux pied, et enfin les chairs des deux jambes, et celle des deux cuisles se détachèrent successivement et ne laisserent que les os. Dans le temps qu'on en écrivit la relation les cavités des os des hanches commençoint à se remplir de bonnes chairs qui renaissoient [u].”

[s] *Act. Curios. Natur. Decur. test. ann. 2. obs. 224.*

[t] *Histoire de l'Academie Royale des Sc. ann. 1710. p. 80.*

[u] *Ibid. p. 81.*

Eodem anno, sævissimo gelu ubique gentium famosissimo, idem morbus in Lucernensi statu primum erupit et iterum annis 1715 et 1716, simulque Tigurinas et Bernenses ditiones invasit; hæc est epidemia quam narravit Langius. “ Absque ulla se-
 “ bre, ut plurimum post præviam plus minus diu-
 “ turnam lassitudinem, mortales male multabat.
 “ Scilicet artus frigore correpti pallorem atque rugas
 “ contrahebant, haud secus ac si calidæ diutius aquæ
 “ fuissent immersi, venis sub rugosa cute disparenti-
 “ bus. Hinc torpidi omnique orbati sensibilitate, su-
 “ perstite tamen, difficiliore licet, motu, dolore in-
 “ terno cruciabantur atrocissimo, qui ex atmosphæ-
 “ ræ aut lecli calore enormiter augebatur; in frigi-
 “ diori verò loco aliquatenus remittens sensationi fri-
 “ gitatis vix tolerandæ cedebat. Sensus hic adeo
 “ molestus ab extremitatibus partium ortus sensim
 “ atque sensim se diffundebat, et ascendendo post
 “ digitos in manibus brachia et humeros, in pe-
 “ dibus crura et femora occupabat, donec super-
 “ veniente sphacelo pars affecta marcida nigraque
 “ vel e trunco vel vicino membro delaberetur. Fu-
 “ erunt qui omni dolore expertes unum alterumque
 “ digiti articulum sphacelo correptum et delapsum in
 “ chirothecis vel tibialibus invenerunt. Sub morbi
 “ decursu reliquæ corporis partes satis bene valebant,
 “ nisi quod sub doloris incremento levem æstum fe-
 “ brilem, sub pastu ciborum calidorum, sudorem a
 “ capite ad scrobiculum usque cordis, somnos labo-
 “ riosos, insomniaque turbulenta perpesi sint ægri [x].”

[x] Acta eruditorum, ann. 1718. p. 309.

Ab illo tempore in Helvetia hunc morbum observatum fuisse non novi; sed ab anno 1709, intra spatium triginta annorum ter aut quater epidemice dicens, in Nosocomio Aurelianensi, a Cl. NOEL observatus est [y].

Endemicus est, ut videtur, in illis regionibus. In actis enim Academiæ regiæ Scientiarum Parisiensis legitur historia epidemiacæ ejusdem generis, a Cl. DUHAMEL, ex relatione Cl. MULCAILLE descripta, *pessimæ* fane indolis, longe enim maxima pars ægrorum peribat. “ Il regne en Sologne depuis la moisson une maladie appellée *ergot*, nom qu'on lui a donné à cause de la figure d'un grain qui la produit qui ressemble à un ergot de volaille, c'est un seigle degeneré, dont l'usage donne à la masse du sang une qualité putride et gangreneuse, qui se fait d'abord sentir dans les pieds et dans les jambes par des lassitudes dououreuses et de lividité exteriere qui forme une gangrene plus seche qu'humide ; il s'y engendre souvent des vers ; enfin les doigts des pieds se détachent de leurs articulations et tombent avec le metatarsæ ; ensuite le pied, la jambe et jusques au femur, qui abandonne la cavité cotyloïde ; il en arrive autant aux extrémités supérieures, et on a vu à L'hôtel Dieu des gens n'ayants plus que le tronc, vivre néanmoins plusieurs semaines ; car ces chuttes des membres ne sont jamais suivies d'hémorragie. Jusques ici on n'a pas réussi à guérir de ces malades ; il en a péri plus de soixante [z].”

[y] Quesnay, traité de la gangrene, p. 408.

[z] Mem. de l'Ac. R. des Scien. ann. 1748. p. 528.

Aliam epidemiam descripsit Cl. SALERNE [a], cuius haec erant præcipua phænomena.

1. Omnes ætates et sexus invasit. Supra genu non ascendebat: dum anno præterito, ille forsan de quo Cl. MULCAILLE scripsit, puer decennalis, qui duo femora amisit, et frater, quatuordecennalis, ex altera parte femur, ex altera crus; ambo post 28 dies perierunt.
3. Paucissimi qui evadunt, raro tamen diu superstites vivunt.
4. Amputatio mortem citat.
5. E centum et viginti ægris vix quatuor aut quinque evaserunt; omnes alii intra sex menses perierunt.
6. Sanguis admodum viscidus vix a venâ stillabat.
7. Inflammatio cutis locum suppurationis præfigit.
8. Post amputationem neque tornatili neque ligaturâ opus.
9. Frequentius pedes invadit morbus in Saxonie, paludosa regione.
10. Omnes ægri ab initio fere imbecilli historiam morbi tradere nesciunt; flavescit facies et adeo marcescunt ut cadavera videantur.
11. Morbus nequaquam est contagiosus.

Cl. PUY, Chirurgus primarius Nosocomii Lugdunensis *L'hotel Dieu*, mihi narrabat se ibi vidisse subinde, et semper imbrofis annis, aliquot ægros hoc morbo laborantes, a vicinis agris adductos, quos inter fœminam cui duo exciderant femora. Symptoma de quo anxie queruntur est urens ignis in parte. Addebat se audivisse morbum aliquoties observari in Delphinatu.

Nen folis hominibus nocet fecale cornutum, sed animalia quoque venenat.

In Wartembergensi tractu ex illius esu abortum faciebant sues; peribant muscæ.

[a] *Memoirs de Mathemat. et Phys. présent. à l'Academ. Roy. des Sc. tom. II. p. 155.*

Narrat Srincus canem nutritum pane e puro fecali cornuto confecto intra horrendos spasmos periisse. Alii medici idem experimentum fecerunt cum porcis, anseribus, gallinis. Idem fuit eventus [b].

Convulsi quoque perierunt cervi qui secale cornutum comederant [c].

Vidit Cl. SALERNE porcum, hoc fecali, cum duplice hordei parte, aliquandiu pastum, qui perii cum abdomine tumido, duro, nigro, cruribusque foede ulceratis; hepate autem et intestini partim gangrenosis. Alio, ob furfur fecalis cornuti comedestum, quatuor pedes et duas aures exciderunt. Anates nonnulli inde pessime se habuerunt, et duo sat cito perierunt.

Plura quæri possunt. 1. Quænam est causa hujuscæ degenerationis fecalis? Summa hic adhuc caligo. Cl. AIMEN demonstravit cariem oriri ex seminibus situ foedatis [d] et promisit inquirere in causas fecalis corniculati. Num fidem solverit in quarto tomo, quem nondum vidi, nescio.

2. Quomodo nocet secale cornutum? Fiat lux. Plura noscimus venena vegetabilia quorum modum agendi ne minimum intelligimus; tale est secale cornutum: nauseoso pollet et acri sapore; talis est sapor plurium venenorum necroticorum; in genere videatur hoc secale humores nostros inficere veneno inquinino, quod aut nervos laceffens spasmos, aut sanguinem putrefaciens gangrenam excitat. Plura nescio.

3. Quomodo nocet nigella? Acre est venenum et viscidum; at si quis nudis pedibus in pratis nigellâ

[b] *Sat. Med. Sileſ. ubi sup. p. 57.*

[c] MULLER, § xiv. 33.

[d] *Mem. present. tom. III. p. 68.*

obductis obambulat, fœda inde crurum ulcerem reportabit [e].

4. Cur modo spasmos, modo gangrænam, aut cum febre, aut plerumque sine febre, excitat hoc venenum? Res est altioris indaginis, nec speranda solutio nisi ex innumeris observationibus et experimentis, de quibus huc usque ne quidem somniatum est. In genere tota hæc historia, haud sat nota et perpenda, dignissima est attentione medicorum; plura enim phænomena habet quæ, bene intellecta, multum lucis in medicinæ difficiliora radiarent.

Quæ de medelâ novi breviter nunc recensabo.

Marburgenes purgabant, tum amara sudorifica largiter præscribebant.

Longolius acida suasit.

Langius emesim initio adhibebat, et, emesi perfacta, sudorifera amara; omniaque cavere jussit alimenta viscosa, pinguia aliaque duspepta. Omnes strenue interdixere pane calido, quem longe perniciörem senescente ubique demonstravit observatio. Ipsum granum tempore virus amittit; inde frequens epidemia mox post messem, sensim rarescit et demum penitus cessat, utcumque non desit secale cornutum.

MULLERI laxa est et inermis medicina ex inanibus antispasmodicis; recte vero vesicatoria adhibuit.

In Solonia mitescunt dolores venæ sectione; decoctum vitrioli, aluminis, et salis communis gangrænam incipientem aliquoties fistit [f].

In puero, crus gangrænosum largiter ad ossa usque incidebat Cl. Puy, tuncque acerbe dolens os

[e] *Langius ubi sup. p. 313.*

[f] *Memoir. pres. tom. II. p. 162.*

tibiæ variis terebrationibus perforabat; totum fere excidit putridum os; sed sensim totum callo regenerabatur, novisque succrescentibus carnibus integre restitutus est æger.

Si de morbo ignoto conjecturas proponere liceret, præmissa, pro casu, V. S. emesim ex y pocacuana et forsan repetitam excitarem; cum sale amaro purgarem, tum largas doses camphoræ, elixirii vitrioli et corticis Peruviani cum decocto chamæmeli propinarem; larga vesicatoria et cervici et ossi sacro apponi curarem, lateque incisas partes ægrotantes, continuo decocto vinoso corticis Peruviani foverem.

Anne hæc gangræna sat accurate dicta gangræna ustilaginea? nequaquam.

Anne *morbus ardentium*? hic morbus videtur fuisse Erysipelas in gangrænam sæpe definens. Dixit Cl. Puy eam esse aliquoties morbi faciem in Delphiniatu.

Anne gangræna, quæ tam acerbe sœvit in familiam J. DOWNING, in pago WATTISHAM mense Jauarii anni 1762; et quam descripserunt Cl. BONES [g] WOLLASTON [h] et PARSONS [i], est idem morbus?

Pater, mater, sex pueri, corripiuntur doloribus acerbissimis crurum, pedum, femorum, valente reliquo corpore; nigrescunt, gangrænosæ excidunt partes; solus felicior est pater, qui lenius ægrotans nihil de corpore amisit; puellus quadrimestris, cum nigris cruribus, ante excisionem moritur. Mater, tres filiæ et duo filii septem crura et quatuor pedes Amit-

[g] *Philos. Transf.* Vol. LH. N° 84 et 85.

[h] *Ibid.* N° 83 et 98.

[i] *Medical Museum*, tom. I. p. 442. tom. II. p. 499.

tunt,

tunt; ex duodecim itaque pedibus undecim excidunt aut rescinduntur. Hæc est vera imago morbi Soloniensis.

Defuit eadem causa, secale nimirum cornutum; at non defuit corruptum frumentum, a quo malus conficiebatur panis, cuius usus alium hominem in eumdem morbum, sed longeleviorem, conjectit. Quærenda ergo causa morbi in grano, quod erat, obseruante Cl. WOLLASTON, nigrum et corruptum; credidit autem MULLERUS, male quidem, nec forsitan fine aliqua observatione, clavum non sine ustilagine nocuisse.

Cur vero præ cæteris hæc ægrotavit familia?

1. In Silezia duæ integræ familie a vivis tollebantur, quibus inerat ergo aliqua proëgumena dispositio nociva.

In Soloniâ duo fratres præ aliis acerbe morbo multabantur. Blæfarum unicus homo ægrotasse videtur. Aliæ observationes demonstrant nonnullas personas facilime gângrænâ corripi [k].

2. In Sileziâ morbus infantes præsertim invasit: juvenes erant ægri Britanni, et mater debilis ex lactatione.

3. Erant omnes macilenti et valetudinarii, quod arguit vapidum sanguinem.

4. Observatum est alibi aërem humidum et clausum, carnem porcinam, diætam lacteam morbi vires auxisse, hæc omnia in domo Downingiana aderant.

5. Non modo maligno pane, sed maligno vervece, maligno lardo, malignis pisis, nonnullis protinus noxiis,

[k] *Quesnay de gangræna*, p. 413.

usa est infelix familia: hæc omnia suam solverunt symbolam.

6. Morbus non fuit contagiosus.

Vale, vir optime; et benigne hasce qualescumque paginulas accipe.

Lausannæ Helvetiorum, 28 die Junii, 1764.

XVIII. Observations for settling the Proportion, which the Decrease of Heat bears to the Height of Situation. Extracted from a Letter of Thomas Heberden, M. D. F. R. S. to William Heberden, M. D. F. R. S.

Read March 28, 1765. **T**H E remarkable transition from heat to cold in all seasons in proportion as we ascend the mountains here, induced me to make the following observations, with intention to discover if there subsists any regularity between the difference of heat and the elevation of situation. In order thereto, besides several observations made at different times, without any remarkable variation, I took the opportunity of a journey of some English gentlemen in October last, whose curiosity led them to ascend the mountain, called here Pico Ruivo, being the highest land on this island, the perpendicular height of which above the sea's surface is, according to Mr. de la Luc's method of mensuration by the barometer and thermometer, $5141 \frac{3}{4}$ English feet. Being supplied by me with the proper instruments,